

commodo suo, dummodo non sit aequale incommodum pro creditore (1). Est communis Theologorum.

Prob. 1.^o Levit (2). *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.*

2.^o Praeceptum restituendi includit hoc negativum, non detinebis rem alienam invito domino. Sed praecepta negativa obligant semper et pro semper. Ergo...

Quod *moraliter*, modo explicato, teneatur, probatur: quia ubi est magnum incommodum pro debitore, et nullum aut fere nullum pro creditore, hic secundum rectam rationem, tenetur consentire in dilationem; contra enim aequitatem et charitatem faceret, si vellet sibi cum tanto alterius incommodo, statim satisfaceri. Ergo non peccas contra justitiam etiamsi differas. Prob. *conseq.*: quia cum omnis injustitia sit contra rationem rectam, ubi rectae rationis dictamen non laeditur non peccatur contra justitiam. Ergo. Confir. Quia nemo tenetur restituere, quamdiu dominus non potest esse jure invitus, circa detentionem. Sed hic non potest esse jure invitus. Ergo (3)...

De aliis, ut de loco restitutionis, causis excusantibus, etc. videas moralistas.

Quaestiones de injuriis in specie circa bona fortunae, famae et corporis maxime practicas, breviandi causa constricti scholae theologiae moralis penitus relinquimus; hic solum de mensura gravitatis materiae in furto et injuriis famae disseremus.

THESIS XXII.

Gravitas materiae in furto non est universim eadem, sed diversa pro diversitate status personarum a quibus res aufertur.

138. *Nota.* I. «Fur, ait S. Isidorus (4), a furvo dictus est, i. e. »a fusco; nam noctis utitur tempore.» Inde furtum est occulta acceptio rei alienae. Noster Molina hanc definitionem per hanc aliam declarat: «Furtum est acceptio injusta boni externi, absque »vi et absque ullo consensu ejus, cujus est, saltem quoad legitimam detentionem,» quae ultima ratio additur ad significandum furtum etiam dari quando res accipitur clam a non domino, seu ab eo qui rem alienam juste possidet, ut si fureris pignus a creditore illud habente. Juristae definiunt. «Contrectatio rei fraudulosa, lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionis »ve (5).» Furtum dividitur in simplex et qualificatum, quod secundum leges est dignum majori poena. Furtum qualificatum dividitur in quatuor membra: 1, est Sacrilegium, quod est furtum rei sacrae aut pertinentis ad Ecclesiam, vel rei profanae factum in loco

(1) V. Less. L. 2, c. 16. Lugo. D. 21.—(2) XIX, 13.—(3) D. Thom. 2, 2, Q. 62, a 8.—(4) L. 10. Etymol. ad litt. F.—(5) Leg. I, ff. de furtis.

sacro, saltem si res erat ibi deposita ad immunitatem et securitatem. 2. Plagium, quod est furtum hominis liberi, aut subreptio servi alieni. 3. Abigeatus i. e. abductio alienorum peccorum. 4. Peculatus i. e. Furtum rei pertinentis ad fiscum seu aerarium publicum.

II. Furtum esse: a) peccatum breviter probat Angelicus (1) ex Exod. (2): *Non furtum facies*, et ratione, nam «si aliquis consideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inveniet: »primo quidem propter contrarietatem ad justitiam, quae reddit unicuique quod suum est; et sic furtum justitiae opponitur, inquantum furtum est acceptio rei alienae: secundo ratione doli, seu fraudis quam fur committit, occulte et quasi ex insidiis rem alienam »usurpando. Unde manifestum est quod omne furtum est peccatum.» b) Esse ex genere suo mortale probat idem Angelicus (l. c. a. 6) ex Zachar (3). *Haec est maledictio quae egreditur super faciem omnis terrae; quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur.* Ratione, «quia peccatum mortale est quod contrariatur charitati, secundum quod est spiritualis animae vita. Charitas autem consistit principaliter quidem in dilectione Dei, secundario vero in dilectione proximi; ad quam pertinet ut proximo »bonum velimus et operemur. Per furtum autem homo infert nocuum »mentum proximo in suis rebus; et si passim homines sibi invicem »furarentur periret humana societas. Unde furtum tamquam contrarium charitati, est peccatum mortale.»

III. Aliqui quos sequitur Lessius (4) putant eandem summam universaliter statuendam esse pro omnibus tam divitibus quam pauperibus, licet in praxi, quia pauperes minori summa magnum damnum experiuntur et divites e contra etiam sublata majori quantitate non sint graviter invitati, per accidens detur variatio in materia, Lugo tamen vult sententiam horum auctorum esse, aliquam materiam esse absolute gravem in genere furti, per quam omnibus grave damnum inferatur, adeo ut ad asserendum quod furtum talis materiae sit grave, necesse non sit attendere diversam qualitatem personarum. Est haec sententia probabilis; tamen contraria, quam nos tuemur, videtur probabilior. Eam tenent La Croix (5), Gormaz (6), Molina (7), Layman, Lugo (8), Bonacina, Navarrus, S. Liguorius (9).

139. Prob. Non est materia gravis furti, nisi ea cujus ablatio domino affert rationabilem gravem tristitiam, vel circa quam dominus merito graviter est invitus. Sed talis materia non est eadem

(1) 2, 2, Q. 66, a. 5.—(2) XX, 15.—(3) V. 3.—(4) L. 2, c. 12, n. 30.—(5) L. 3, p. 1, n. 983.—(6) De just. n. 693.—(7) P. 2, D. 685, n. 2.—(8) D. 16, n. 23.—(9) L. 3, n. 527.

respectu omnium pauperum et divitum. Ergo... *Major* constat quia non nisi talis materia est capax laedendi graviter charitatem et pacem et inferendi notabile nocumentum. *Min.* prob. ex communi hominum sensu; nam ex communi aestimatione videretur irrationabile, si ditissimus quisque vellet aequae tristari, vel aequae esse invitus, propter ablationem alicujus rei, ob quam merito tristatur pauper. Ergo...

140. Obj. 1.º Per accidens est, quod unus homo ditior sit altero. Sed jus naturale non attendit ad ea quae sunt per accidens, sed quae sunt per se: Ergo non attendit ad divitias, vel paupertatem, sed eandem statuit summam gravem sive pro divite sive pro paupere.

Resp. Conc. *Maj.* vel trans. neg. *Min.* vel dist. Absolute; conc. Hypothetice; neg. Jus enim naturale suppositis casibus per accidens, varie obligat; sic per accidens est fieri crimina et tamen jus naturale exigit, ea aliquando puniri.

Inst. Pecunia eandem habet aestimabilitatem pro divite et paupere: Ergo in aequali summa aequalem patiuntur injuriam dives et pauper.

Resp. Dist. *antec.* eandem intrinsece; conc. Extrinsece; neg.

Obj. 2.º Jus divitis ad unum argenteum est aequae magnum ac jus pauperis. Ergo aequae graviter laeditur. Confir. Posse magnum beneficium facere pauperi est bonum notabile divitis. Sed hoc habet dives per argenteum, quem donare pauperi potest. Ergo hunc auferre diviti est auferre bonum notabile.

Resp. Dist. *antec.* Aequae magnum et aequae aestimabile neg. Non aequae aestimabile; conc. Etiam jus ad obolum est aequae magnum quam jus ad centum argenteos, qui ex eodem titulo, e. g. haereditatis possidentur; num etiam auferre obolum erit mortale sicut auferre centum argenteos? Ad Confir. Neg. *antec.* nam etiam aliquando esset beneficium magnum pro pauperrimo dare ei sex centimos, qui certe non sunt quid magni momenti pro divite.

SCHOLION.

De quantitate maxima.

141. Quenam tandem statuenda sit materia gravis in furto diversa pro diversitate personarum vel ut loquuntur multi respectiva; Lugo (1) solum Deum scire, respondet quenam tandem in rigore revera gravis sit, ita ut immediata minor sit levis; nam

(1) D. 16, n. 21.

scimus quidem furtum oboli esse leve et furtum plurium aureorum esse grave: at quanam sit quantitas ultima levis, quam quilibet excessus faciat gravem et e contra quae materia sit ultima gravis, ita ut quilibet defectus faciat levem determinari certo non potest. Difficultas vero in hac materia eo est major quo quantitas in certis rebus, vel etiam pecuniis determinari universaliter nequeat; neque enim est eadem aestimatio pecuniarum et mercium ubique; unde auctorum opiniones in hac re sunt valde disparatae (1). La-Croix (2) ait mortale furtum esse subtractionem sustentationis diurnae; sub qua tamen etiam intelligit vestitum, habitationem, suo modo correspondentem.

Probatur ergo ultima sententia quam sequuntur Mayr (3), Ilsung (4) ita: Sustentatio seu victus est omni homini communis: unde ex hoc capite potest melius quam ex aliis assignari regula communis. Item bonorum externorum finis est maxime sustentatio hominis; consequenter bene dicitur, esse grave in hoc genere, quod graviter est contra hunc finem. Merito autem grave contra hunc finem censetur, auferre victum diurnum; nam merito aestimatur aliquid grave, posse integro die pro suo statu honeste subsistere, et cuique grave censetur, carere debita sustentatione integra die: Ergo tantum furari, est intrinsece notabile damnum, quod merito graviter displiceat et dominum rationabiliter graviter invitum reddat, ideoque furtum grave constituat; quod confirmat Ilsung ex molestia jejunii quod tamen non privat ab omni sustentatione. Confir. Levit. (5) dicit: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane* hoc est: non differas solutionem mercedis in alteram diem: ergo non solvere, vel etiam contra justitiam diutius differre solutionem videtur grave. Sed merces commu-

(1) Sint in exemplum opiniones aa. quos affert Lug. D. 16, n. 22. Navarrus (ann. 1586) in Manuali c. 18, n. 4, vult esse materiam gravem dimidium regalem seu argenteum juxta monetam illorum temporum. Corduba (Franciscan. scrib. 1553) in Sum. q. CIX, unum. Salonus (Augustin. soc. 17); Lessius c. 12, n. 30 (obiit. 1623); Medina (dominic. ob. 1581) et alii multi assignant duos argenteos; Valentia Dis. 5, q. 10, n. 30 (obiit. 1603), cum aliis tres. Toletus (obiit. 1596) Sanchez. lib. VII in decalog. c. 20, n. 3; quatuor et addit esse opinionem communem sui temporis (obiit. Sanchez 1610); Lugo et Molina undecim argenteos seu aureum respectu principum et magnatum: sex vel septem respectu divitum: quator respectu artificum, respectu pauperum vero mercedem correspondentem labori diurno, quae tempore medio inter hyemem et aestatem datur fossori (obiit. Molina, 1600; Lugo, 1660) (Vide Lug. D. 16, n. 28). E contra aliqui anonimi apud Lessium c. 12, n. 29, requirunt centum aureos. Alii ut Gormaz Aragonensis (ob. 1702). De justit. n. 715, 716, assignant victum diei competentem et juxta hanc regulam pro suo tempore conditionate addit: si pauperibus furari argenteum seu Julium sit mortale, tunc pro mechanicis statuendos esse duos, pro medicis divitibus quatuor; pro valde divitibus et regibus, seu iis qui splendide alunt familiam, decem vel undecim; et hanc sententiam videtur absolute amplecti: atque esse hodie communem sententiam. — (2) L. 3, P. 1, n. 985. — (3) De just. n. 551. — (4) D. 3, n. 152. — (5) XIX, 13.

niter censetur necessaria ad sustentationem et victum operarii. Ergo.

Nota. Haec regula valet absolute pro extraneis, et furto in materia gravi; nam pro furtis domesticorum et furtis minutis quando longo tempore separantur, vel a diversis dominis sed simul auferuntur, tunc respective, cum domini sint minus inviti vel damnum minus inferatur, requiritur major quantitas. Tandem quanta haec sit respective ad nostra tempora pro omnibus furtis vide apud probatos auctores modernos.

Dices: Si Lex seu regula posita est recta non explicatur cur ea admittentes dum pro paupere assignant unum argenteum ad furtum grave et pro divitibus quinque vel sex, pro principibus tantum assignent duos vel tres aureos (1); sumptus enim et divitiarum Principum superant in majori proportione, opes divitum communium, quam opes horum, facultates pauperum. Ergo major quantitas pro furtis contra Principes est assignanda.

Resp. 1.^o Mayr cum La-Croix, loc. cit. 997 debere attendi solum ad personam Principis, cui praecisis sumptibus extraordinariis illa quantitas sufficit.

2.^o Lugo (2) furtum pertinere ad ea, quae ut pollutio voluntaria prohibentur non propter damnum praecise quod afferunt, quando semel fiunt sed propter damnum quod causarent saepius repetita si licerent. Nam licet furtum unius aurei, vel dimidii semel solum factum non afferret magnum detrimentum, praesertim homini diviti, atque ideo secundum se spectatum non videretur sufficiens ad inducendam damnationem aeternam; consequenter tamen inferret magnum detrimentum, eo quod si tale furtum leve esset, et posset absque peccato gravi fieri multiplicarentur ejusmodi furta, ex quorum frequentia maximum detrimentum etiam divitibus et principibus sequeretur. Haec regula prae oculis habenda semper est in tota hac materia; ex ea enim debet regulari gravitas vel levitas injuriae.

THESIS XXIII.

Detractio in re gravi est peccatum mortale; tunc vero res est gravis, quando attentis omnibus circumstantiis laesus est merito graviter invitus.

142. **Nota.** I. Fama, ut jam alibi dictum est, est bona de aliquo existimatio quoad aliquod ejus bonum v. g. in virtute, doctrina, prudentia et aliis hujusmodi, quae apud homines magni fiunt. Detractio definitur a D. Thoma (3): «Denigratio alienae famae per occulta verba.» Expressius: Injusta denigratio alienae famae per verba occulta, «non simpliciter, ut advertit ipse S. Doctor,

(1) Fere quatuor aureos 20 p. exigit P. Lehmkuhl.—(2) D. 16, n. 29.—(3) 2, 2, Q. 73, a. 1.

»sed per comparisonem ad eum de quo dicuntur, quia eo absente et ignorante dicuntur.» Additur *injusta*, quia aliquando potest non esse contra rationem aliquem diffamare; per verba *occulta*, quia communiter ita faciunt auctores ad significandum quid praecise sufficiat ad detractionem seu famam solum laedendam, quae aliunde potest simul esse cum contumelia, ut si quis alteri in facie coram aliis falsum crimen imponat, communiter tamen (1): «qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis quam parvipendere: unde non directe infert detrimentum honori, sed famae, in quantum hujusmodi verba occulte proferens quantum in ipso est eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo contra quem loquitur.» Dicitur *denigratio*, quia ad detractionem non est necesse totam famam auferre, sed sufficit eam imminuere; *alienae* tandem, nam homo est propriae suae famae dominus (Thes. IX). Thesis est communis et certa.

143. I.^a Pars. Prob. 1.^o Cum D. Thoma ex epist. ad Rom. (2). *Detractores Deo odibiles*; quod ideo additur, ut dicit Glossa (3). «ne leve putetur propter hoc, quod consistit in verbis.»

2.^o Fama inter res temporales est valde pretiosa hominibus. Sed privare hominem re pretiosa est grave damnum inferre ac consequenter peccatum mortale. Ergo...

3.^o Furtum in materia gravi est peccatum mortale. Sed detractio per se est gravior furto. Ergo...

Min. prob. Angelicus (4) ex hoc generali discursu: «Peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quae proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpa. Tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur. Cum autem sit triplex bonum hominis, scilicet bonum animae, et bonum corporis, et bonum exteriorum rerum; bonum animae, quod est maximum, non potest aliter ab alio tolli nisi occasionaliter, puta per malam persuasionem, quae necessitatem non infert; sed alia duo bona, scilicet corporis et exteriorum rerum, possunt ab alio violenter auferri. Sed quia bonum corporis praeeminet bono exteriorum rerum, graviora sunt peccata, quibus infertur nocumentum corpori, quam ea, quibus infertur nocumentum exterioribus rebus. Unde inter caetera peccata, quae committuntur in proximum, homicidium gravius est, per quod tollitur vita proximi jam actu existens; consequenter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem ge-

(1) 2, 2, Q. 73, a. 1.—(2) I, 30.—(3) Ordin. Petr. Lombard.—(4) 2, 2, Q. 73, a. 3.

»nerationis humanae, per quam est introitus ad vitam. Consequen-
»ter autem sunt exteriora bona, inter quae fama praeeminet divitiis,
»eo quod propinquior est spiritualibus bonis, unde dicitur Pro-
»verb. (1). *Melius est nomen bonum quam divitiae multae.* Et
»ideo detractio secundum suum genus est majus peccatum quam
»furtum; minus tamen quam homicidium vel adulterium.»

II.^a Pars. Prob. 1.^o Talis materia sufficit ad laedendam graviter
charitatem et pacem. Ergo etiam sufficit ad mortale peccatum.

2.^o Talis detractio famae est notabile damnum in fama. Ergo est
peccatum mortale. *Antec.* est clarum, quia non nisi notabile da-
mnum rationabiliter ferimus moleste seu graviter.

Haec intellige etiam pro defunctis quorum animae jus habent ad
bonam memoriam nisi ageretur de certo damnatis, quibus Moli-
na contra Lugonem negat hoc jus.

SCHOLION.

Quandonam aliquod crimen dici possit publicum.

144. I. Crimen alicujus dicitur publicum, ac proinde licet ne-
scienti referas non detrahis: Si crimen jam est notum in civitate,
vel quia publice patratum, vel quia per sententiam judicis aut alio-
rum narrationem est divulgatum. Hinc 1.^o non videtur peccare
graviter contra justitiam, qui crimen divulgat in alia civitate
cum qua saltem commercium est (2). 2.^o Non videtur esse contra
justitiam renovare memoriam criminis jam obliti et emendati, si
crimen fuerat evulgatum per sententiam judicis: secus si ipso fa-
cto aut aliter fuerat divulgatum; per sententiam enim judicis jus
ad famam amisit, in poenam peccati. Esset tamen hoc facere, gra-
viter peccare contra charitatem.

II. Extra casum publicationis juridicae, ante resolutionem ani-
madvertendum venit: *Notorium* plus esse quam tantum *publicum*
ut habetur Jur. canon. C. *Tua nos.* 8. De cohabitatione Clericorum,
ex eo enim canone notorium est, «quod nulla tergiversatione po-
»test celari» et si ita publicatum est sententiâ judicis, dicitur: *noto-
rium notorietate juris*; si autem tantum per famam ita vulgatum
est: *notorium notorietate facti*. At *publicum*, seu ita notum ut ali-
quis infamatus censeatur, ex Molina (3) videtur esse illud, quod
«jam ita limites occulti egressum est ut prudentis viri arbitrio,
»attenta conditione humana et qualitate communitatis, in qua fa-
»etum scitur, judicetur istud adeo esse prolatum ut moraliter sit
»ejus notitia ulterius diffundenda.» Sequitur Lugo cum aliis
D. 14, n. 70...

Ex hoc principio, seu potius ex hac regula, deducit Molina.
quem sequitur Lugo, aliud esse, aliquem esse infamatum vel

(1) XXII, 1.—(2) Lugo. De just. et jur. D. 14, n. 72.—(3) Tom. V, D. 31, n. 4.

ejus crimen esse publicum in aliqua domo, aliud esse id publicum
in civitate, vicinia, populo aut regno; unde quo major sit domus,
eo plures crimen debent scire, ad hoc ut publicum possit dici in
domo: non tamen semper proportionem stricte geometricam; nec enim
si in parva domo debet scire media pars, idem requiritur in majore;
nam modo plures sciant jam crescit difficultas reticendi. Haec
intellige pro eadem domo, civitate; nam pro alia contra Cajetan.
Navar. et Lessium probabilius est esse contra justitiam
evulgare crimen in alio loco, quo numquam aut tarde ejus fama
perventura erat, cum in diverso loco adhuc jus ad famam retineat
hic infamatus.

Ut res plus determinetur subjungit Molina (l. c.) haec exem-
pla, quae dicit, potius esse stricta quam laxa. Si domus constet octo
inquilinis, forte requiri, ut crimen sciant quatuor: si viginti, septem
aut octo: si centum, quindecim aut ad summum viginti. In academi-
a constanti mille studiosis, sufficient viginti, modo isti non
sint in una aut duabus domibus, aut collegiis. In vicinia constante
quatuor aut quinque domibus, in quibus quadraginta personae nu-
merantur, sufficient octo aut decem in diversis domibus. In oppi-
do constante quadraginta domibus, viginti personae sufficient,
addit vero quemdam non inepte docuisse in oppido constante quin-
que millibus civium ad minus requiri, ut norint factum triginta
in diversis domibus. Item si quis in curia sit infamatus, vel alio
illustri loco, quo homines ex toto regno confluere solent, censen-
dum esse ejus crimen publicum in toto regno; quia scilicet facile
per totum regnum fama spargitur.

THESIS XXIV.

Judicium temerarium firmum de malo gravi,
plena deliberatione admissum, est peccatum mor-
tale contra justitiam.

145. *Nota.* Contra famam dupliciter potest injuria fieri, primo
si absque actu externo et absque ordine ad ipsum fiat. Secundo si
per actum externum. Primo modo fit per judicium temerarium
quod in genere definitur a D. Thoma (1) «opinio seu judi-
»cium aliquod mali ex levibus indiciis procedens.» Assignat tres
gradus in hujusmodi judiciis; sed a primo gradu D. Thomae,
qui est opinio et dubium ex levibus indiciis, ut notat Lugo (2),
ad judicium firmum, aliis duobus gradibus devenitur, ita ut sit:
1.^m Dubitatio de bonitate et honestate alicujus, suspenso assensu
nulli parti adhaerente. 2.^m Suspicio quando homo in alteram par-
tem inclinatur, non tamen *determinate* assentitur, sed inchoative
tantum, quatenus probabiliter judicat latere ibi aliquod funda-
mentum ad opinandum. 3.^m Est opinio seu suspicio D. Thomae

(1) 2, 2, Q. 60, a. 3.—(2) D. 14, n. 19.

quae est assensus determinatus de re mala, cum formidine tamen vel actuali vel saltem radicali seu interpretativa, quatenus interrogatus, non affirmaret rem esse certam. 4.^m Assensus firmus, hoc est sine formidine explicita vel implicita. 5.^m Judicium externum seu sententia condemnatoria exterius prolata. Thesis intelligitur de quarto gradu. Est doctrina catholica.

146. Prob. 1.^o Ex S. Scriptura: ex Luc. (1): *Nolite judicare et non judicabimini; nolite condemnare et non condemnabimini.* S. Jacob (2): *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum detrahit legi.* Unde sic: hic reprehenduntur judicia temeraria ut digna condemnatione et contra legem. Dominus enim generaliter loquitur, occasione eorum, qui dissimulantes peccata sua, acrius minora aliorum investigant et damnant. Sed non possunt esse digna condemnatione, nisi sint peccatum mortale, nec mala nisi sint contra justitiam. Ergo... *Min.*, quoad secundam partem, prob.: quia tantum possunt esse mala, (seclusa positiva prohibitione Dei, quae hic gratis adstrueretur), quatenus alii habent jus ad famam. Ergo...

2.^o S. Augustinus (3): «Si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, i. e. definitivas firmasque sententias continere debemus.»

3.^o Ratione a) Unusquisque jus habet ad propriam famam retinendam apud alios: ergo sicut est peccatum contra justitiam illam apud alios detrahere, sic etiam apud nosmetipsos per iudicium temerarium. b) Haec judicia pariunt ex se proximi contemptum, impediuntque ejus honorem externum et plura alia commoda. Sed quod causat gravem contemptum proximi, et molestiam gravem ei praebet est mortale et contra justitiam. Ergo... c) Solius Dei est occulta judicare ut constat ex epist. 1.^a ad Corinth. c. IV: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* Ergo id facere temerarie est quaedam injustitia erga Deum.

147. Obj. 1.^o Injusta revelatio criminis alicujus apud virum probum illud non evulgaturum, juxta sententiam probabilem aliorum, non est semper peccatum grave. Ergo nec iudicium temerarium in re gravi erit peccatum mortale, cum ex ipso apud unum solum amittatur fama sine periculo evulgationis.

Resp. 1.^o Tr. *antec. neg. conseq.*: nam in primo casu revelatur crimen verum, non falsum; ut in secundo; jam vero imponere falsum crimen grave, etiam apud unum solum, semper est peccatum mortale in omnium sententia.

(1) VI, 37. — (2) VI, 11. — (3) Ex glos. ordin. in I Cor. IV, *Nolite ante tempus judicare.*

Resp. 2.^o Neg. *antec.* juxta sententiam saltem probabilem, si non probabiliorum aliorum.

Obj. 2.^o Si aliquis suscipiat rem alienam per modicum tempus, puta per horae quadrantem ut statim restituat, non peccat mortaliter: Ergo nec qui laedit famam proximi per modicum tempus, iudicando illum temerarie in re gravi.

Resp. Neg. *conseq.* et paritatem; nam qui temere iudicat, non habet animum statim recedendi, nisi adsint alia motiva pro alia parte, atque ideo quantum est ex se, infert, saltem secundum affectum, damnum grave, tam ex parte temporis, quam ex parte materiae; sicut non obest malitiae detractionis, quod statim poenitentia ductus eam quis revocet; nisi per jocum deciperet aliquem generando in ipso aliquam malam opinionem alterius hominis, cum animo veritatem statim manifestandi, tunc enim defuisset animus inferendi damnum grave (1).

SCHOLIA.

De opinione, suspicione et dubio probabili.

148. I. Opinio voluntaria de malo alterius ut plurimum non est peccatum grave; potest tamen esse temeraria et tunc pertingere poterit ad peccatum grave.

Est communis sententia et Prob. I.^a Pars quia: Hae opiniones, ut plurimum procedunt ex imbecillitate et inconsideratione iudicii, sine malo affectu voluntatis, et intellectus corrigeret suum iudicium si melius adverteret. Sed hoc pacto non potest dici fieri magnam seu gravem injuriam proximo. Ergo...

II.^a Pars prob. Aliquando talis opinio non procedit ex errore humano aut fragilitate aliqua, sed ex malitia, qua quis vult ita opinari ut suum proximum contemnat et pro vili habeat, aut ne cogatur illum in suo corde sibi praeponere. Sed talis injuria potest esse gravis. Ergo... *Min.* constat nam gravius est alicui, quod opinemur illum haereticum vel incestuosum cum matre, quam quod certo credamus esse fornicarium vel perjurum. Sed hoc ultimum est certo injuria gravis. Ergo (2).

(1) V. Lug. D. 14, sec. 2. — (2) In hac sententia difficultas est in assignanda regula ad dignoscendam gravitatem hujus opinionis contra proximum. Vide Lugonem D. 14, a n. 17, qui tandem hanc statuit: «Denique sicut in aliis materiis sufficit ad contrahendam culpam gravem praevidere periculum gravis nocuenti proximo inferendi, non video cur etiam in hac materia non sufficiat ad culpam gravem quod aliquis advertat se nondum examinasse pondus et sufficientiam motivorum, quae habet ad assentiendum, et aliunde per illum assensum se exponi periculo laedendi temere famam proximi in re gravi; tunc, inquam, si neglecto examine motivorum, adhuc pergat ad assen-